



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Locus I. Reg 2. 5. illustratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

100 DE CALCEIS HEBRÆOR.

driani inferius exhibemus. Quint  
caligam fuisse militum calceamen-  
tum quo semper utebantur, vel  
hinc intelligi potest, quod Lati-  
næ linguæ auctores optimi cali-  
gam pro militia, seu militari pro-  
fessione, usurpent, ac militiam ca-  
ligatam, & milites caligatos pas-  
sim dicant, quod, præter Lævinum  
Torrentium, prolixè docuit Julius  
Nigronus. Apud Hebræos etiam  
milites calceamenta gestasse videre  
est ex loco quodam, qui in Re-  
gum libris legitur. Inter alia mo-  
nita, quæ Rex David jam moritu-  
rus filio suo Salomoni dedit, etiam  
illud recensetur. *Tu quoque nosti  
quid fecerit mihi Joab filius Serujæ,  
& quid fecerit duobus imperatoribus  
Israelis, Abner filio Ner, & Amasæ  
filio Jether, quos occidit: & effu-  
dit sanguinem belli in pace: & cruorem  
belli posuit in balthæo suo, qui erat  
circa lumbos ejus, & in calceamen-  
tis, quæ erant in pedibus ejus. Ubi  
notandum est, pro eo quod La-  
tini dicerent *foedavit sanguine ma-  
nus*, vel ut apud Ovidium est,*

Torrent.  
loc. cit.  
Nigr. de  
Caliga  
cap. 3.

1. Reg. 2. 5.

Ovid. lib. 6.  
Mefam.

— calido tellurem sanguine  
foedat,

Davi-

LIBER PRIMUS. 101

Davidem dixisse Joabum foedasse  
gladium suum, quo accinctus erat,  
sanguine innocentum, & calcea-  
menta, quæ in pedibus erant.

III. Hoc licet constet in mili-  
tia veterum pedes caligis munitos  
fuisse, non tamen adeo exploratū est,  
quid sibi velit Paulus, cum Chri-  
stianos calceari jubeat *ἐν ἑτοιμασίᾳ  
τῆς εὐαγγελίᾳ τῆς εἰρήνης*. Nulli enim  
mihi satisfaciunt interpretes, quos  
ad hunc locum consului. Vocem  
*ἑτοιμασίαν*, cum ab *ἑτοιμάζω* præparo  
dictam scirent, præparationem,  
promptitudinem, significare volue-  
runt, quæ quidem ejus est vulga-  
ris apud Græcos notio. Ita vel  
*præparationem* vel *promptitudinem*  
vertunt Vulgatus, Erasmus, Be-  
za, Coccejus, Belgæ, & omnes  
vernaculi interpretes. Sensum  
vero non eundem assignant homi-  
nes eruditi. Vatablus. *Ut parati*  
*sitis ad Evangelium pacis annuncian-*  
*dum.* Vir illustrissimus Hugo  
Grotius. *Pedes significant quotida-*  
*nas actiones, ut diximus ad Joh. 13.*  
*10. Eæ non sordescunt, si semper in-*  
*sistant cogitationibus exsequendi &*  
*propagandi Evangelii.* Magnus Coc-  
E 3 cejus.

Vatabl. ad  
h. l.

Grot. ad  
h. l.